Epistola 38.

S. P. D.

D. NN. IOHANNES COCCEJUS.

Magnifice D. Rector, Collega honorande.

De voce דּוֹדָה, quae est Lev. XVIII. 14. haec habeo.
Habet vocabulum דוד affinitatem cum יָדִיד. Id dilectum,
charum, notat. Salomon à Nathane appellatus est יְדִידְיָהּ
ὁ ἀγαπητὸς τοῦ Κυρίου. Ab Jeremia verbis Dei templum di-
citur יְדִדוּת נַפְשׁוֹ dilectio animae ipsius. Arabibus ود dilectio.
Ejusdem igitur stemmatis est דוד. Quod primo notat dilectum.
ut Es. V. 1. Canam, age, לִידִידִי שִׁירַת דּוֹדִי לְכַרְמוֹ Dilecto meo carmen
Dilecti mei de vinea sua. Hoc mysterium continet. In Can-
tico Solomonis Ecclesia Christum vocat דּוֹדָהּ dilectum suum.
Ille vicissim רַעְיָתוֹ sociam suam, Sororem suam, Sponsam,
Amorem. Illa suum istud explicat per שֶׁאָהֲבָה נַפְשִׁי quem dili-
git anima mea. Antequam ad aliam notionem pergam, noto
in Cantico & Proverbiis דּוֹדִים plurale abstracti pro amoribus vel
suavitatibus & deliciis poni. Sed דוד etiam est nomen cogna-
tionis. quae στοργῆς causa est. Notat autem דוד τὸν πατρά-
δελφον, vel ἀδελφὸν τοῦ πατρὸς. Ita et Chaldaeus explicat, et ex
re clarum est. Ita Uzziel est דוד patruus Aharoni. Levit. X. 4.
Exod. VI. 18. Ita Ner Saulis. 1. Sam. XIV. 51. Zedekijas Jecho-
niae, 2. Reg. XXIV. 17. Vice versa fratris mei filius mihi דוד
videtur dici posse, ex 1. Chron. XXVII. 32. comparato 2. Sam. XXI.
21. Nam in altero loco Jonathan dicitur דוד Davidis, in altero
filius fratris. Verisimile est, eundem esse. Levit. XXV. 24. post fra-
trem in secundo ordine cognationis ponitur דוד, deinde בֶּן דוד
patruelis. Foemininum דּוֹדָה est amita, patris soror. Nam sic
Jochebed Amramo דּוֹדָה. Exod. VI. 20. collato II. 1. At in nostro
loco, de cujus sensu quaerimus, דּוֹדָה vocatur uxor patrui disertis
verbis. Ambiguum est, ex qua causa sic vocetur; cum non sit pa-
tris soror. Potest dici, quod Abraham Aben Ezra annotat,
חֲשׁוּבָה הִיא כְדוֹדָתְךָ reputatur ut amita tua. Lex enim reddit
rationem, quare non sit concumbendum cum uxore patrui: nim. quia
hoc est retegere nuditatem patrui; quia illa est amita, h.e. qua-
si amita, vel loco amitae. Attamen Levit. XX. 20. uxor patrui
simpliciter דּוֹדָה appellatur, his verbis: Vir, qui concubuerit
אֶת־דֹּדָתוֹ cum Dodatho. Intelligi autem istic etiam uxorem pa-
trui, inde clarum est, quia pro ratione additur: Nuditatem דודו
patrui sui retexit. Quod non potest fieri nisi in uxore ejus.

Quid si dicamus, quemadmodum ex נָבִיא propheta derivatur נְבִיאָה quod est & προφῆτις & προφήτου uxor, ut Es. VIII. 2. ita דּוֹדָה notare utrumque. amitam. 2. patrui uxorem? Sed in loco Levit. XVIII. 14. hoc mihi non arridet. Tum enim vox hæc דּוֹדָה resolvenda esset in suam definitionem, nim. patrui uxor. Atqui ~~tautologum foret~~ minus stringens videretur dicere: Non concumbes cum uxore patrui tui. Uxor patrui tui est. Quanquam enim idem vocabulum in ταυτολογία cum emphasi repeti possit & soleat; ut v. 7. mater tua est. Tamen quod illa emphasis designare posset, hoc jam dictum est in principio versus, Nuditatem patrui tui ne retegas. et hoc efficacius est, quam dicere, Uxor patrui est. In nomine ipso Matris clara ratio est vetiti concubitus. In nomine דּוֹדָה, si notet uxorem patrui, non idem ~~et~~ esse videtur ponderis, ut patruo mortuo duci non possit. Ideoque Lex, quod et dici debuit, ~~addidit~~ addere sine dubio voluit, ipsam censeri ut Amitam: quod vehementius ~~de~~ exprimitur et gravius per, Amita tua est, quam per Amita tua reputatur.

Salvis melioribus.

[illegible]

[illegible]

J. Coccejus.